discipulorum patrata fuisse : *In illa autem hora multos curavit.*

2. — Dionysius Carthusianus ad sensum spiritualem recurrens, nobis, qualiter Salvator noster miracula ista mystice patraverit, insinuat his verbis : « Quomodo ista miracula spiritualiter fecerit, facile « est pensare; spiritualiter enim cæci vident, dum « Christo desuper radiante homines ab ignorantiæ « errore vel infidelitate purgantur; surdi audiunt, « dum rebelles verbo Dei obediunt; spiritualiter « namque duritia obstinata mentis surditas apella- « tur; leprosi mundantur, dum a vitiis gulæ atque « luxuriæ homines expurgantur; claudi ambulant, « dum pigri et instabiles ad divina efficiuntur fer- « ventes, claudicatio enim obliquitas affectionis; « acedia, vel nutatio mentis accipitur, juxta illud « libri Regum : *Usquequo claudicatis in duas partes?* « mortui quoque resurgunt, dum impii pœnitent; « sed et pauperes evangelizantur, dum infirma et « abjecta mundi, et ea quæ non sunt, prædicantur a « Deo electa, ut fortia et superba confundantur. »

Mortui resurgunt.

3. — Cajetanus hæc verba de filio viduæ paulo ante resuscitato, nec non de suscitata Archisynagogi filia, intelligenda esse credidit. Dionysius Carthusianus autem numerum mortuorum a Christo ad vitam resuscitatorum, adducto in medium S. Augustini testimonio incertum esse censet, eo quod multa miracula ab Evangelista minime conscripta fuerint; et quidem quod plures quam tres suscitaverit, ex hisce verbis deduci posse videtur, quia dum hæc verba dixit, miraculum illud celeberrimum in Lazari resuscitatione nondum patraverat, sed duo tantum supradicti mortui resuscitati fuerunt : « Si « ergo Christus tempore hujus responsionis, non « suscitasset nisi duos, non dixisset forsitan tam « absolute pluraliter mortui resurgunt, præsertim « cum secundum Philosophum morale sit, in his « quæ ad propriam commendationem pertinent, « declinare ad minus, salva semper veritate. » Demum vero Christum plures quam tres mortuos suscitasse, efficaci quadam ratione probat, quia nimirum miraculum, circa Lazarum patratum, tres Evangelistæ silentio involutum præterierunt.

Pauperes evangelizantur.

4. — Isaias, LXI, 1, qui per antonomasiam Propheta Evangelicus appellatur, eo quod omnes legis gratiæ eventus clarissime prædixerit, inter alia futuri Messiæ officia, ex ipsiusmet ore hoc unum esse dicit : *Ad annuntiandum mansuetis misit me,* in Hebræo habetur : *Ad evangelizandum pauperibus;* illis namque qui dixerunt : *Ecce nos reliquimus omnia,* Evangelium a Christo primo omnium loco annuntiatum fuit; ipsamet quoque experientia per omnia sæcula, illos, qui bonorum terrenorum magis egeni sunt, cœlestium bonorum, qualia Evangelium annuntiat, magis capaces ad illaque magis dispositos esse ostendit.

5. — Lucas Brugensis, per hosce pauperes illos intelligit, qui ex voluntatis affectu vere tales existunt : « Pauperes spiritu, qui si opes habent aut « honores, non illis cor apponunt, non ideo se pluris « faciunt : si non habent, non supra modum desi- « derant, id est, qui se pauperes, miseros, viles « atque abjectos esse cognoscunt, quales facilius « sunt ii, qui nulla ac tenui fortuna sunt, quam qui « splendida. »

6. — Refert S. Lucas, IV, 17, 18, quod, dum in Nazareth patria sua constitutus, sabbato in synagogam ingressus esset, *surrexit legere, et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ, et ut revolvit librum, invenit locum, ubi scriptum erat : Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me.* Rationem autem cur specialiorem pauperum mentionem faciat, Lucas Brugensis hanc adfert : « Ut admoneat, quinam idonei sint ad accipiendum « Evangelium, et percipiendam quæ illic offertur, « salutis et regni cœlorum gratiam, pauperes scili- « cet, id est, humiles, mansueti, afflicti, quales fere « magis sunt pauperes, quam divites. » Jansenius idem hisce verbis advertit, dum ait : « Hi capaces « sunt evangelicæ doctrinæ, et obedientiæ fidei, ut « enim superbia et ferocia contentiosa est, et ob id « indocilis; ita contra mansuetudo docilem reddit. « Unde *Jacobi,* I, 21 : *In mansuetudine suscipite « insitum verbum, quod potest salvare animas « vestras.* Et *Eccli.,* V, 13 : *Esto mansuetus ad « audiendum Verbum Dei, ut intelligas.* » S. Anselmus paucis verbis idem, vel saltem parum differens motivum adfert, dum ait : « Pauperes evangeli- « zantur, id est, Evangelio convertuntur, non enim « amant cœlestia, nisi qui contemnunt terrena. »

7. — Sanctus Hilarius, cap. XI, *in Mat.,* per hosce pauperes illos significari existimat, qui mortificantur, et crucis Redemptoris participes existunt. « Pauperes bene nuntiantur, id est, qui perdiderint « animam, qui crucem suam acceperunt, et sequen- « tur, qui humiles spiritu fient, quorum regnum « præparatur in cœlo. »

8. — Nec defuit qui diceret vocem *pauperes,* in sensu accommodatitio intelligi posse *active,* id est, *pauperes evangelizant,* siquidem unum ex majoribus divinæ omnipotentiæ, et sapientiæ prodigiis fuit, quod pauperes piscatores nudipedes, idiotæ, natalibus et professione viles et abjecti, Evangelio mediante totum mundum Evangelicæ legi compararint; Regesque et Monarchas ipsorum se pedibus obsequiosos advolvere fecerint, tributariosque Ecclesiæ constituerint. *Comperto quod essent homines sine litteris et idiotæ, admirabantur. Act.* IV, 11.

9. — Cajetanus dicit : « Inter opera, inter mira- « cula testificantia Messiam connumeratur, quod « pauperes evangelizantur, hoc est, accipiunt bo- « num nuntium » : notatque in hoc differentiam magnam, quæ inter Regnum Dei, et mundi, bona terræ et cœli intercedere cernitur : « Mundana « bona communia annuntiantur magnatibus et « divitibus mundi, et per illos derivantur ad reli- « quos pauperes, cœlestia autem bona, communia « toti generi humano, annuntiantur pauperibus « piscatoribus, et aliis hujusmodi sequacibus Jesu, « et per illos derivantur ad alios, etiam mundi « principes, ut experientia testata est. » S. Hieronymus, *in Matth.,* hanc apud Deum nostrum indifferentiam observat, quod acceptor non sit personarum, imo quod potius pauperes divitibus et potentibus anteponat : « Intellige pauperes spiritu, vel « certe opibus pauperes, ut nulla inter nobiles et « ignobiles inter divites et egenos in prædicatione « distantia sit : hæc magistri rigorem, hæc præcep- « toris comprobant veritatem, quando omnis apud « eum, qui salvari potest, æqualis est. »

10. — Dionysius Carthusianus, hanc vocem *evangelizantur* ita declarat : « Hoc est, Evangelica « lege et gratia instruuntur. » Euthymius pariter dicit : « Pauperes lætum accipiunt Evangelii nun- « tium. »

11. — Discipuli a Joanne ad Christum missi, de veritate quadam summi ponderis et momenti convincendi erant, nimirum quod Christus verus Dei filius et promissus in lege Messias sit, ac proinde opere pretium esse censuit, eamdem factis potius, miracula operando, quam verbis illis persuadere, illorumque mentibus imprimere. Unde S. Leo ait : « Facilis ad exhortandum sit ratio, efficax ad sua- « dendum, validiora tamen sunt exempla quam « verba, et plenius est opere docere quam voce. »

12. — Observari quoque potest, Christum non dixisse : Ego reddo lumen cæcis, mutis loquelam, auditum surdis, sed eum in tertia persona locutum fuisse : *Cæci vident, claudi ambulant;* idque ut nos doceret omnem nobis jactantiam et ostentationem propriam summe fugiendam esse.

13. — Porro Pharisæi a Salvatore miracula petierunt, *Matth.,* XII, 38 : *Volumus a te signum videre;* at vero Christum audierunt, hoc illos responso affantem : *Generatio mala et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei;* hi autem discipuli S. Joannis, absque eo quod signa aliqua a Christo exposcerent, multa viderunt patrantem miracula, quæ clare Christi divinitatem testabantur. Differentia autem utriusque in eo consistit, quod illis, ex miraculis Christi proficere, non fuerit animus, nec ex *visiis iis* in ipsum credere voluerunt; hi vero bono fine Christum convenerint, nimirum ut veritatem agnoscere, eamque sequi possent : *Respondit eis in via virtutis suæ. Psal.* CI, 24.

14. — Denique si signum unde Filium Dei venisse perspicue cognoscere possumus, est, quod cæci oculos suos aperiendo videant, surdi vero prompte audiant, timere jure merito possumus, Deum nobis non venisse, nisi aures et cor nostrum sanctis ejus inspirationibus aperiamus, aut nisi verum lumen receperimus, sed potius in cæcitate et ignorantia nostra perseveremus : *Illuminat omnem hominem.*

Additiones.

a. — *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur,* etc. Non ex inani titulo cæci dicendi sunt qui tum mundi, tum hominum adulatione eousque duci se sinunt, ut in quævis etiam gravissima peccata, velut cæci precipites ruant. Utinam hoc Christi miraculum hodie in multis spiritualiter cæcis vigeret, dum multi superiorum peccata quidem, sua suorumque cognoscunt nihilominus quasi cæci ea non viderent, emendare in se non curant, nec in aliis corripiunt.

b. — Mirum valde est quod inter grandiora miracula in felici Evangelii tempore videnda, seriatim recenscantur quasi prodigiorum clausula, quod pauperes evangelisarentur, id est quod adsint concionatores, qui Evangelium pauperibus prædicent. Ita enim hoc locum intelligit S. Hieronymus dicens : « Pauperes autem evangelisatos, « intellige opibus pauperes, ut nulla inter nobiles « et ignobiles, inter divites et egenos, in prædi- « catione distantia sit, quod præmissis non minus « est. » Nempe dum pauper æque ac dives evangelisatur non est minus miraculum quam cum cæci vident, leprosi mundantur. Pauper, inquam, opibus, a quo nihil lucri concionator expectet, qui evangelici sudoris mercedem retribuere non valet, qui eruditæ eloquentiæ plausus non possit muneribus adornare, hoc est miraculum, quod præmissis non minus est. Itane rarum est inveniri concionatorem qui sine spe lucri verba faciat ad pauperes? Taceo, ne sordidi lucelli quemquam arguere videar. Audiant tamen prædicatores verbi doctrinam S. Bonaventuræ. Ex eo quod cœlestis Magister noster, discipulis suis ad Dei verbum seminandum abeuntibus, pecunias in via portare vetuerit, Doctor Seraphicus hanc deducit consequentiam, inquiens, *in Luc.* : « Litteralis observantia hujus præ- « cepti est exemplum perfectorum prædicatorum « perfecte Christum imitantium. In quorum per- « sona Petrus dicit : *Ecce nos reliquimus omnia.* « Sed spiritualis observantia ad omnes se extendit, « ut prædicator veritatis sit contemptor terrenita- « tis. Alioquin si annuntiant verbum Dei cupiditate « lucri, non sunt discipuli Christi, sed Balaam « arioli, secundum illud, II *Petri,* II : *Cor exerci- « tatum in avaritia habentes, maledictionem filii, « derelinquentes rectam viam.* Prædicator veritatis

« super omnia vitare debet vitium cupiditatis, « alioquin non erit prædicator veritatis, sed adu- « lator, propter quod dicit Apostolus, I Thessal., II. « *Neque aliquando fuimus in sermone adulationis,* « *sicut scitis, neque in occasione avaritiæ : Deus* « *testis est.* Sciebat enim, quod ex hoc iram Dei « provocaret, sicut dicitur, *Michæ*, III, 11, 12 : « *Sacerdotes ejus in mercede docebant et prophetæ* « *ejus in pecuniis divinabant. Propter hoc, Sion* « *quasi ager arabitur et Jerusalem quasi acervus* « *lapidum erit, et mons templi in excelsa sylva-* « *rum.* »

c. — Quod si verbum *Evangelizantur* nonnullis arrideat active intelligi, unum est utique ex majoribus divinæ sapientiæ et omnipotentiæ prodigium quod pauperes piscatores per veræ fidei prædicationem reges et regna ad adorationem Crucifixi compararint, ipsosque persecutores in defensores commutarint, dæmones in idolis compescuerint et profligarint, sectarumque hæreticarum errores mundo detexerint. Apostolus scribens Corinthiis, I, I, 26, ait : *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus.* Omnipotentia enim, et sapientia Altissimi omnes mundi populos suæ subjectura legi, non elegit philosophos, nec oratores, nec principes aut monarchas, sed idiotas et pauperes piscatores, ut in hisce agnosceretur et adoraretur ejus potentia : « Non quæsivit per oratorem piscatorem, » inquit S. Augustinus, « sed e piscatore lucratus est impe- « ratorem. » S. J. Damascenus, lib. IV *de Fide*, idem punctum attingens, ait : « Toto orbe Evan- « gelium illud quo nobis Dei cognitio patuit, « promulgatum est, non bello et armis, copiisque « militaribus adversarios fundens, atque in fugam « vertens, verum pauci homines nudi, pauperes « ac litterarum ignari, vexati, excruciati, necati, « eum qui carne in crucem actus, morteque affec- « tus fuerat, prædicantes, doctos viribusque pollen- « tes superaverunt. »

Versus 6.

Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.

1. — Sanctus Anselmus quamdam verborum illorum expositionem adducit, tempori multum accommodatam, dum ait : « Id est, qui non dubita- « verit de adventu meo. »

2. — Lucas Brugensis ait : « Nemini dat justam « offendiculo occasionem, sed nostra sive malitia, « sive infirmitas offendiculi occasionem sibi ipsi « accipit, unde non debet. Porro discipulos Joannis, « quos hic notat, offendisse videtur humilitas con- « versationis Domini, quod non seorsum ab homi- « nibus illa vitæ severitate viveret, qua ipsorum « magister Joannes. » In ea namque occasione, qua Christus a Levi convivio excipiebatur, *Matth.*, IX, 14, discipuli Joannis sese prodiderunt in medium dicentes : *Quare nos et Pharisæi jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant?* nimirum reprehendere eum quoque ex illo capite volebant, quod cum modica severitate vitam ageret. Merito igitur, inquit Lucas Brugensis : « Hic taxat eos, sed occulte, « passionem mentis eorum ita detegens, ut apud « turbam non pudescerent, sed taciti ipsi secum « agnoscere possent vitium suum. » Dominus interiora cordis ipsorum penetrabat, modicamque videbat in eo æstimationem, quam comparative ad Baptistam, qui in eremo sepultus, *non manducans neque bibens* vixerat, de ipso habebant; unde illos post præcursoris sui mortem scholæ suæ adsciscere volens, ab eo quo imbuti erant errore illos primo divinitatis suæ signa per intentionis et cordis ipsorum penetrationem illis ostendendo, seque ipsum a modico, quem de illo habebant, concepto justificando, eximere, ac tum demum eo loquendi modo uti voluit, quia in Isaia VIII, 14, de Messia venturo vaticinatum erat : *Erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, et in petram scandali.* Simeon pariter de ipso, etiamnum tenello infante, dixerat : *Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur. Luc.*, II, 14.

3. — Carthusianus dicit, quod, sicut in Christo duæ naturæ erant, una sublimis et divina, altera vero humilis et humana, itaque in quo ipso « fuerunt « quædam altissima, multa miracula et divinitatis « insignia, fuerunt etiam in eo quædam humillima « et abjecta, ut quod esuriit, lassus fuit, irrisiones « sustinuit et mortem; quidam ergo pensantes « magnalia Christi, concesserunt, quod esset verus « Filius Dei, sed non hominis, et isti ex magnifi- « centia Christi fuerunt scandalizati; alii conside- « rantes objecta Christi quod mortalis fuit, expavit, « tristis fuit, et cruci affixus, concesserunt quod « esset filius hominis, sed non Dei, et isti ex humi- « litate Christi scandalum passi sunt. » Salvator igitur per hunc loquendi modum dicere voluit, beatos futuros illos, qui tam miracula sua, quam ejus passionem et contemptum mortis suæ spectando et videndo in conceptu divinitatis ejus, nullam passuri essent diminutionem : « Qui non fuerit « scandalizatus, hoc est, qui visis miraculis credit « me Filium Dei, et etiam visis tribulationibus « manet in eadem fide. » Christum in infami patibulo in medio latronum suspensum ascipere, scandalizavit totam hebraismi synagogam : *Judæis quidem scandalum.* S. Gregorius ait : « Infidelium « mens grave in Christo scandalum pertulit; cum « eum etiam post tot miracula morientem vidit. « Quid est dicere : *Beatus, qui non fuerit scandali-* « *zatus in me,* nisi aperta voce abjectionem mortis « suæ signare? ac si patenter dicat, mira quidem

« facio, sed abjecta perpeti non dedignor; caven- « dum valde est hominibus, ne in me mortem « despiciant, quia signa venerantur. » Albertus Magnus quoque ad mortis ipsius mysterium alludit, dum ait : « Occasionem ruinæ in me non acceperit, « cum infirmitatem ostendam in Passione. » S. Paschasius similiter dicit : « Percutit conscientiam « eorum omnium, qui de Christi morte dubitant, « quia etsi mortuus est ex infirmitate carnis, ut ipse « voluit, vivit tamen ex virtute Dei. » S. Hilarius quoque verba illa de ejus morte et sepultura explicat, dicens : « Quia futura erat crux plurimis scan- « dalum, beatos eos professus est Christus, quorum « fidei nil tentamenti deferret crux, mors, sepul- « tura. »

4. — Jansenius, VI, 47, eadem verba in sensu morali de illis exponit, qui propter actus humilitatis et mortificationis, quos lex Evangelica annexos habet, a Christi sequela retrocedunt : « Hodie, » inquit, « in Christo multi scandalizantur, ut qui non « possunt approbare humilitatem eam, quam docet « in Evangeliis, et in suis exhibet Christus, hanc « enim non potest mundi arrogantia non fastidire. » Quod si Christus in hunc mundum cum magna veniret majestate et magnificentia, offerendo thesauros, honores, delicias, utique longe plures mundani ei in occursum venturi essent, ad ei obsequendum; nunc autem beati erunt omnes illi, qui nullum in eo passuri sunt scandalum, id est qui propter paupertatem, persecutiones, infirmitates, aliasque hujus vitæ ærumnas et adversitates, ab ejus se divino servitio minime subducent; neque enim divites, potentes, et eos qui in hujus mundi prosperitate felicissime vivunt, Salvator beatos declarat, sed pauperes, famelicos gemebundos et lugentes, et qui in continuis tribulationibus et afflictionibus vivunt.

Versus 7.

Illis autem abeuntibus cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne : Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?

Illis autem abeuntibus.

1. — Chrysostomus dicit : « Propter hoc autem, « abeuntibus illis, ut non videatur homini adulari. » Albertus Magnus ait : « Ne præsentibus eis adulari « videretur. » Eadem quoque fuit S. Thomæ, *in Matth.*, circa hæc verba facta ponderatio, dum ait : « Docet nos Dominus magnam curialitatem, quia « noluit Joannem laudare, discipulis suis præsen- « tibus; » ac demum subjungit, neminem præsentem laudandum esse, juxta illud monitum Sapientis, *Prov.* XXVII, 2. *Laudet te alienus*, etc., « quia si bonus « est, qui laudatur, erubescit ; si malus est, adu- « latur. »

2. — Potest et aliud hujusce circumspectionis motivum adduci, qua usus fuit, expectando missorum discipulorum recessum, quia si tam eximias Magistri sui laudes ex ipsiusmet Christi ore intellexissent, utique in conceptu quo illum Messiam esse arbitrabantur, tanto magis confirmati fuissent, id quod in magnum veritatis et salutis ipsorum damnum et præjudicium cessurum fuisset.

3. — Dici quoque potest, quod tametsi S. Joannes velut arundo vento agitata, vanæ gloriæ periculo subjacere non poterat, attamen discipulos ejus Magistri sui encomia audire noluit, ne forte hæc illi recenserent; ad erudiendum nos, quod etiam omnis offendiculi occasio a viris sanctissimis et perfectissimis amovenda sit, utpote qui nullum patiuntiur potentiorem inimicum, quam propriam existimationem et vanam gloriam. Unde S. Prosper, lib. I, *de Sent.* CCCXVII, ait : « Quas enim vires nocendi « habeat humanæ gloriæ amor non sentit, nisi qui « ei bellum dixerit, quia etsi facile est cuique, lau- « dem non capere, dum negatur, difficile tamen « est, ea non delectari, cum offertur. »

4. — Adhæc ex quo S. Joannes tantam apud Synagogam, Pharisæos, Sacerdotes, et Pontifices famam obtinebat, ut sublimissimam Messiæ dignitatem eidem ultro citroque offerre non dubitarint, testimonium ejus tanquam veridicum et sincerum, omnique exceptione majus, Christo utique ejusque Divinitati plurimum inservire poterat, ac proinde prudenter et circumspecte discipulos laudes ejus auscultare noluit, ne forte suspicari possent, illas ideo a Christo adeo extolli ut sibi hoc fine majorem ejus benevolentiam compararet.

Cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne.

5. — S. Anselmus observat Christum turbis eximere voluisse erroneum illum conceptum, quem audita hac interrogatione, in qua an Christus verus esset in lege nobis promissus Redemptor, apparenter se dubitare ostenderat, de S. Joannis circa divinitatem ejus ignorantia formare poterant : « Quia « turbæ audierant Joannem hoc quæsiisse, ne vide- « retur hoc fecisse ex levitate, cum eum esse « Christum modo perhibuisset, modo iterum dubi- « taret, ideo ab eo levitatem removet, dicens : Quid « existis in desertum, etc. »

6. — Cajetanus notat, Christum hactenus usque ad illud tempus laudes Præcursoris sui tacuisse, nunc vero linguam suam in ejus laudes laxasse, quia ita necessitas exigebat : « Hactenus quia non opor- « tuit, tacuit laudes Joannis, modo autem quia « periclitabantur in opinione turbarum, tum con- « stantiam, tum testimonium redditum a Joanne de « Jesu, inchoat laudes Joannis : nesciebant enim « turbæ, qua ratione Joannes misisset discipulos ad « interrogandum. Tu quis es? Messias? an alium « expectamus? » De instabilitate ejus, nec non de

veritate testimonii ejus : *Ecce Agnus Dei,* merito dubitare poterant.

7. — Euthymius ait : « Christus hujusmodi « medetur suspicioni, docens simul, quod cordium « esset cognitor; » adeoque præconiis de S. Joanne prolatis, duos operatus fuit effectus; primus fuit, quod per illas laudes ostenderet, quod cogitationes, quas turbæ volvebant in mente, ipse in eorum cordibus legeret; alter vero fuit, quod illos obfirmavit in credendo, quod S. Joannes discipulos suos ad Christum non miserit ex dubietatis et perplexitatis motivo, sed potius ad inserendam mentibus eorum, sequaciumque suorum veram in Christum fidem. Unde Interlinearis ait : « Cœpit dicere ad « turbas, quæ nesciebant mysterium interrogationis « ejus. »

8. — Chrysostomus dicit *in Cat.*, quod Christus quantum discipulos ad se missos attinet, fecerit, quidquid quoad ipsos opus erat, quia per patrata coram ipsis miracula, capaces illos reddiderat, ut eum Messiam promissum esse crederent : « Sed « oportebat etiam turba sanari, quæ ex interroga- « tione discipulorum, multa inconvenientia subin- « tellexerint, ignorantes mittentis consilium. Pote- « rant utique dicere, qui tanta testatus est de « Christo, aliter persuasus est nunc, et dubitat, « utrum sit ipse? Numquid ergo alterans ad Jesum « hoc dicit? numquid timidior a carcere factus? « numquid vane et inaniter priora dixit? » Et quidem hujus a populo erroris propulsatio tanto expedientior, majusque necessaria erat, ut Albertus Magnus dicit, quia populus ille ad scandalum capiendum facillimus erat : « Faciles enim erant et « proni ad malum. »

9. — Paulus de Palatio, ex illis Baptistæ a Christo deprædicatis encomiis, moralitatem quamdam deducit; Prima etenim facie, interrogatio a discipulis Joannis Christo proposita, famam et venerationem Christi non nihil lædere videtur, siquidem Divinitatem ejus dubiam reddit : « Videri quipiam posset « Joannes, injuriam irrogasse Christo, interrogans « an ipse esset, cum jam celebri testimonio ipsum « esse prius fuisset confessus : hanc injuriam Christus « devorat, non malum malo reddens, sed bonum « potius pro eo, quod malum videbatur. »

Quid existis in desertum videre?

10. — Dubitari hoc loco haud immerito potest, cur non potius carceris, compedum, et catenarum, quibus Joannes vinctus erat, quam deserti mentionem fecerit? cujus ratio hæc esse potest, quia turbæ illæ sæpius Jerosolyma ad illas solitudines egressæ fuerant, ut Joannem prædicantem audirent, atque in eadem solitudine Salvatorem promissum jam advenisse annuntiaverat, imo ipsum hisce verbis : *Ecce Agnus Dei,* et protenso in ipsum digito, populo præsenti commonstraverat, atque ideo deserti potius, quam carceris mentionem faciendam esse duxit.

11. — Magnum utique sanctitatis Præcursoris, argumentum erat; quod deserti incola et habitator esset; nam qui in aulis et magnatum palatiis habitant, fine ut plurimum humano ducuntur, in hoc vero horridum desertum pedem suum non alio fine intulit, quam ut veritatem, et contumeliati Dei honorem pro virili defenderet.

12. — Tametsi S. Joannes ignarus non esset, Christum in Nazareth conceptum, et in Bethlehem natum fuisse, et in domo Josephi commorari, ipseque eidem esset tam quoad parentelam, quam in virtute et sanctitate proxime conjunctus, attamen in solido triginta annorum spatio, Filium Dei facie tenus agnoscere aut videre intermisit; unde vere dicebat : *Ego nesciebam eum,* scilicet ex facie. Neque tamen nullatenus dubitandum est, summo intus in corde desiderio flagrasse, ut eum tandem videre, et familiariter cum eo conversari posset : cur igitur tamdiu solitarius et procul ab eo remotus permansit? S. Thoma de Villanova *Conc. de S. Joan.* dicit : « Cum sciret Christum inter homines habitare, « privavit se consortio Christi et familiaritate, et « mansit in deserto, quod fuit illi magnum marty- « rium, acerbius omni illo rigore pœnitentiæ. O « quomodo sitiebat videre Christum, alloqui, gau- « dere, et frui ejus præsentia, quem sciebat esse « Deum in carne! » Quonam vero motivo sese immensa hac consolatione et gaudio in rigorosissimis austeritatibus suis privavit? « Abstinebat prop- « ter hoc, ne putarent homines, quod amicitia et « familiaritate Christi de ipso reddebat testimo- « nium, non veritate. » Idem quoque Chrysostomus verba illa : *Nesciebam eum,* exponens, scripsit : « Ut « non videatur, ex amicitia propter cognationem ei « testimonium perhibere, quia cognatus est secun- « dum carnem, propterea dicit : *Nescibam eum.* »

13. — Mora illa diuturna, quam in deserto traxit; certum de eo testimonium edidit, inquit S. Anselmus, quod ad gloriam et applausus humanos minime aspirabat : « Ne commotum eum aliqua « cupiditate vanæ gloriæ credant, ut videlicet Chris- « tum se vellet facere, vel aliquid hujusmodi, ideo « ab eo vanam gloriam removet, quasi dicat : Non « est inanis gloriæ cupidus, quia non quærit præ- « sentiam hominum, sed desertum. »

Arundinem vento agitatam.

14. — Albertus Magnus legit : « Numquid homi- « nem levem, omni vento circumlatum? qui in « prosperitate mihi testimonium prohibuerit, et « modo in adversitate victus de me dubitaverit? » Quo loquendi modo Christus dicere voluit, quod tametsi ad illam interrogationem Christo proponendam, discipulos illos miserit, non tamen ideo in jam facta Divinitatis ejus confessione titubabat. Unde concludit Albertus : « Constantem etiam in « carcere, non inclinabilem a veritate et spiritu, « quo repletus est ex utero matris, nunc plenius « exuberantem in veritatis confessione. »

15. — S. Gregorius, a S. Thoma in *Catena* citatus, notat, Christum hoc dixisse, *non asserendo, sed negando;* « Quod videlicet non asserendo, sed « negando intulit; arundinem quippe mox ut aura « contingit, in partem alteram flectit, per quam « carnalis animus designatur, qui mox ut favore et « detractione tangitur, in partem quamlibet decli- « natur. Arundo ergo vento agitata Joannes non « erat, quem a status sui rectitudine, nulla rerum « varietas inflectebat. »

16. — Hugo Cardinalis punctum paulo ante a nobis insinuatum tangit, nimirum quod turbæ audita interrogatione, Christo a Joannis discipulis proposita, occasionem inde capere poterant dubitandi, an Joannes in confessione de Christo alias facta, qua illum verum Messiam diu desideratum esse dixit, etiamnum persisteret; nonnulli quoque ex eadem turba in illa erant opinione, Joannem erga Christum invidia fuisse stimulatum : « Alii « putabant, quod invidus esset, et cum scirent « ipsum esse Messiam, ex invidia quæreret, tan- « quam nesciret : alii dicebant eum adulatorem, « quia cum præsentem commendaret, absenti de- « traheret, » ideoque Christus opere pretium esse duxit, si per hasce deprædicatas Joannis laudes, sinistros hosce turbarum conceptus dissiparet, asserendo ipsum nequaquam instabilem quamdam esse arundinem, sed solide et constanter in eo persistere, quod alias sæpius fuerat protestatus. « Numquid « existis videre arundinem? » inquit S. Thomas *in Matth.*, « non, sed existis videre hominem fir- « mum; arundo autem de facili movetur, unde « animus cito mutabilis, ventus reputatur. *Ephes.*, « IV, 14 : *Ut non simus jam parvuli fluctuantes.* » Lyranus S. Joannis in pluribus rebus stabilitatem considerat : « Ita constans erat, quod nec timore, « nec favore a veritate declinabat, nec ab austeri- « tate pœnitentiæ. »

17. — Dionysius Carthusianus in persona Christi loquens, in S. Joannis rectitudine, verum sancti cujusdam viri caracterem agnoscit, dum ait : « Quasi dicat » (Christus scilicet) « Joannes vir « justus et stabilis est, quem nulla culpa vel passio « a rectitudine dejiciet, » adducitque illum Ecclesiastici, XXVII, 12, textum : *Homo sanctus in sapientia manet, sicut sol; nam stultus sicut luna mutatur;* necnon alium textum Proverb. X, 25 : *Justus quasi fundamentum sempiternum.* Deinde pergit dicens : « Tales sunt omnes, qui nec blandimentis, nec « minis, nec amore, nec odio, nec prosperis, nec « adversis a veritate et æquitate flectuntur, sed « homines vani cum laudantur, extolluntur, cum « vituperantur irascuntur, quasi propter aliorum « laudem aut vituperationem ipsi meliores essent, « vel deteriores. »

18. — S. Hilarius, cap. XI *in Matth.*, in sensu mystico per arundinem, hominem intelligit vanum, humanæque gloriæ avidum : « In arundine homo « talis ostenditur, de gloria sæculi vitæ suæ inani- « tate speciosus, in se autem fructu veritatis cavus; « exterior placens, et nullus interior; ad omnem « ventorum motum, id est, immundorum spirituum « flatum movendus, neque ad consistendi firmita- « tem valens. »

19. — Hugo Cardinalis per arundinem hypocritam intelligit : « Arundo significat hypocritam, qui « extra nitet, intus est vacuus. »

20. — Paulus de Palatio super hæc verba scribens, omnes Adæ posteros arundines esse dicit : « Omnes mortales, qui ex Adam nascimur, arun- « dines sumus, et ut Dei verbis utar, sumus calamus « quassatus : quænam arundo tam facile movetur, « ut Adam motus est? »

21. — Neque Christus Baptistam sine particulari mysterio apud turbas illas instabiles, de soliditate, constantia, et stabilitate commendare voluit, siquidem prævidebat, quod eum tanquam Messiam proclamaturi et triumphaliter recepturi, eademque septimana ipsum quoque velut pessimum malefactorem in patibulo suspensuri essent.

22. — Dici etiam potest, quod merito S. Joannem Baptistam de stabilitate laudaverit, cum enim tunc novam gratiæ legem exorsurus esset, docere nos voluit, quod Christus in suis fidelibus stabilem in fide sua, et in divino ejus servitio persistentiam requirat, *Cant.* V, 15 : *Crura ejus columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Porro per sponsum Christus denotatur, qui eum Ecclesia desponsatus fuit, quæ in ipso columnæ super bases aureas fundatæ firmitudinem et stabilitatem commendat, quia charitatis et amoris legem constanter profitetur. Observandum est autem, quod sponsa dicat ex eodem metallo constare pedes, qui corporis extremitas sunt, et caput quod est alterum extremum : de hoc enim in eodem capite dicitur : *Caput ejus aurum optimum.* Cum igitur per caput principium denotetur, per pedes vero finis innuatur, dicere voluisse videtur, quod *correspondeant ultima primis;* et consequenter sequaces suos docere, quod finem principio correspondentem, id est, stabilem in bono incepto persistentiam et perseverantiam requirat; nam ut S. Hieronymus, *Epist. ad Fut.*, ait : « Non requiruntur in Christianis initia, sed « finis. » Credibile est, Psalmistæ a Deo revelatum fuisse, quod Ecclesia per Psalmos ejus, quotidianum laudum, hymnorum, et gratiarum tributum persolutura esset, ideoque eum scripsisse, *Ps.* XXXIV, 18 : *Confitebor tibi in Ecclesia magna, et in populo gravi*

laudabo te; ubi Hugo Card. ad nostrum propositum legit : *In populo stabili.* Etenim omnes aliæ sectæ, mutationibus subjectæ existunt; quisquis enim alium cultum aliamque religionem profitetur, ab ea distinctam, quam profitetur Ecclesia Christiana, Catholica Romana, non diu illius persistet religio? sola fides nostra infallibili hac promissione gaudet, quod ad finem usque sæcularum, in suo candore et integritate stabilis persistet, *Luc.*, XXII, 32 : *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua;* ac proinde Christus in illius fidei professoribus, firmam perseverantiam jure merito requirit. Spiritus Sanctus vaccas illas, quæ ad Arcam Dei portandam, jugo suppositæ fuerunt, mire commendavit, eo quod vitulis in bovili ad præsepe misere balantibus et vociferantibus, directo itinere constanter et libere processerint, absque eo quod vel semel retrospicerent. *Ibant in directum per viam quæ ducit Bethsames, et itinere uno gradiebantur, pergentes et mugientes, et non declinabant neque ad dexteram, neque ad sinistram.* I *Reg.*, VI, 12. Hæ autem vaccæ symbolum sunt illorum Christi fidelium, qui postquam colla sua jugo legis Christi semel submiserunt, directa via præcedunt usque ad civitatem solis, id est, usque ad æternæ beatitudinis possessionem, absque eo quod vel semel retrorsum respiciant. Psalmista *Ps.* XLIV, 14, dicit : *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis.* Per hanc autem filiam regiam, Petrus Blesensis unionem intelligit Christi fidelium : « Fimbriæ sunt vestimenti extremitates, « est ergo gloria sanctimonialis in fimbriis, nihil « enim prodest gloria bonæ conversationis in prin- « cipio, nisi sit gloriosus et finis. » Hinc est, quod vocatio ad fidem non sufficiat, nisi etiam ad finem usque eidem correspondeatur : *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi* : ac proinde optime S. Petrus, II *Pet.*, I, 10, nos monet : *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis.* Circa quæ verba Glossa ait : « Certam facit vocationem suam, qui in « bonis operibus perseverat. » In libro Josue dicitur, quod aquarum, quas Arca pertransivit, una pars deorsum fluxerit, altera vero instar muri immobilis perstiterit; unde Origines pulchram hanc deducit moralitatem, illas præcipue considerando, quæ deorsum fluebant, donec se mari mortuo immergerent, et dicit : « Si enim omnes, qui baptizantur, « acceptæ cœlestis gratiæ dulcedinem custodirent, « nullius in amaritudinem peccatorum verteretur : « pars illa, quæ in stabilitate permanet et dulce- « dinem servat, significat eos, qui acceptum munus « Dei firmiter tenent. »

23. — S. Eucherius *De vita solit.* ad idem propositum, aliam quamdam reflexionem facit, ponderat enim, quod aquæ Maris Rubri, quæ populo Dei, ut in desertum procedere posset, liberum dedere transitum, demum populo in alteram maris ripam translato, sese denuo cum aliis aquis junxerint, viamque intercluserint, quo minus retrogredi, aut via qua venerant, reverti possent : « Aperuit « Deus inter aquas vias maris, et circumfusis deinde « aquis, texit illud, ut desertum petentibus patefa- « ceret iter, claderet reditum : *Omnia in figura « contingebant;* » per hoc namque innuitur, quod postquam ex Ægypto hujus mundi per aquas baptismales, ad veram promissionis terram, quæ legem Evangelicam designat, transivimus, jamque Christianæ militiæ cingulo, sub vexillo Crucis Christi merentes accincti sumus, gressus nostros retrorsum figere nequaquam debeamus. *Quicumque spiritu Dei aguntur,* inquit Apostolus ad Romanos Neophytos VIII, 14, *hi sunt filii Dei.* Ubi Chrysostomus ait : « Quamvis baptisma acceperis, nisi spiritu postea « ducaris, dignitatem datam perdidisti, et adop- « tionis prærogativam; propterea non dixit : Qui- « cumque spiritum acceperunt; sed quicumque « spiritu ducuntur, id est, quicumque omnem vitam « ita vivunt, hi sunt filii Dei. » Sponsa, quæ Ecclesiæ Dei symbolum est non fine causa dicit, *Cant.* I, 16 : *Ligna domorum nostrarum cedrina;* nam trabes cedrinæ, sunt rectæ, stabiles, et incorruptibiles, et ideo ut S. Bernardus, *Serm.* XX *de mod. bene viven.*, ait : « Signant Sanctos Dei, qui indefatigabili et « immarcescibili desiderio Conditoris sui flagrant, « et in bonis operibus usque ad consummationem « vitæ perseverant. » Ideo quoque Salvator noster Apostolis suis universam Dei Ecclesiam tunc repræsentantibus contestatus est, se illis regni cœlestis contulisse investituram et possessionem, ut solidi et stabiles in ejus Ecclesia persisterent : *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum. Luc.* XX, 28.

24. — Apostolus in pluribus occasionibus, prout ex variis ejus litteris ad eos, quos Evangelio noviter compararat, scriptis colligitur, perseverantiam et stabilitatem hanc commendat : Romanis XII, 9; *Adhærentes bono,* inquit; ubi Chrysostomus notat, illum non dixisse, *facientes bonum,* sed *adhærentes* : « adhærere bono jubet, ita et Deus mulieri virum « conjungens dicit : Adhærebit uxori suæ. » Græco legitur : *Agglutinati bono;* unde sicut vinculum conjugale ad mortem usque durat, et ante illam non solvitur, ita quoque fideles in bono, quod Deo promiserunt, ad ultimum usque spiritum persistere debent. Lyranus pariter dicit : « Adhærentia firmi- « tatem importat. » Sic quoque idem Apostolus Corinthiis, I, XV, 58, per modum consilii suadet : *Stabiles estote, et immobiles, abundantes in opere Domini semper.* Philippensibus, IV, 1, similiter scribit : *Fratres mei charissimi et desideratissimi, gaudium meum, et corona mea, sic state in Domino.* Item ad Colossenses, II, 6, 7, ita scribit : *Sicut accepistis Jesum Christum Dominum, in ipso ambulate, radicati et super ædificati in ipso, et consummati.* Ubi Chrysostomus notat : « Quod radices egit, non potest transmoveri. »

Additiones.

a. — *Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne,* etc. Joannes vir erat eminens valde in sanctitate, erat quippe in utero sanctificatus, inque gratia confirmatus, et nihilominus, absentem, absentibusque discipulis, qui Joanni laudes a Christo prolatas referre poterant, laudavit ne qua labe vanæ gloriæ inficeretur Joannes, vel populus saltem hunc Christi encomiasticum loquendi modum adulatorium vere esse arbitrari potuisset. Unde Auctor Imperfecti, *Hom.* XXVII, optime ait : « Quam bene « recedentibus discipulis, cœpit laudare Joannem, « non sicut quidam blanditores homines, qui « libenter hominem in facie laudant. » Magna profecto opus est virtute et spiritu ad hoc ut quis per assentationem non seducatur, aut sibi in hoc loquendi modo perfectissimorum quoque auribus adeo grato sibi minime complaceat. Unde S. Hieronymus ad Demetriadem, l. IX, *de Virgin.*, scribit : « Beata mens est, quæ perfecte hoc vitium vincit, « et nec adulatur aliquando, nec adulanti credit, « quæ nec decipit alterum, nec ipsa decipitur, tan- « tumque hoc malum nec facit aliquando, nec « patitur. »

b. — Jesus loquens ad turbas de Joanne hoc suo exemplo nos informat, quot quando alicujus fama ac honor periclitatur, audenter debemus pro illo verba facere, illiusque virtutes narrare, ac multis detractores compescere. Dionysius Carthusianus super illa Psalmistæ verba : *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar. Ps.* C, 5, ita scribit : « Hic persecutor detractoris, bonus ac pius est, non « crudelis, et quicumque cupit vere proficere, « debet inprimis vitium detractionis penitus ab- « horrere et funditus extirpare. » Hugo Cardinalis Davidem in hoc puncto valde rigidum fuisse ait : « Supra dixit de declinante, *non cognoscebam*; hic « amplius dicit, scilicet, *persequebar,* et infra : *Cum « hoc non edebam,* quasi dicat : Excommunicatus « est et merito quia ipsi sunt persecutores omnium, « similes Ismael, cujus manus contra omnes, et « manus omnium contra eum. » S. Augustinus dicit : « Non accommodes aures tuas ad perspicienda « verba detrahentis, ne accipias mortem in anima « tua, detrahenti enim et audienti animæ, utrique « esca mortis fit detractio, nam detractor et libens « auditor diabolum portat in lingua, nam et libens « auditor quæ audit libenter loquitur. »

c. — Providus Dominus et Magister, magnis Joannem extollit encomiis: nec id quidem sine ratione; nam paulo ante dixerat : *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* Voluit autem Dominus ab hoc errore excludi Joannem, eum mirifice extollens. Sed cur in aliis occasionibus, veluti in Jordane, cum a Joanne multum commendaretur, piissimus Dominus ad ejus laudes omnino mutus fuit, et hic illum ita commendat? Ratio est, quia hic cum falso judicio turba Joannem dehonestare videbatur, tunc valde largiter a Christo evehitur, et apparentes ac falsas injurias veris laudibus retundit. Sic qui injurias libenter tolerat, Dei benevolentiam ac defensionem sibi conciliat et gloriæ coronam præparat, ideoque injuriatores multis titulis utiles nobis sunt. Nostros nos faciunt emendare defectus dumque illos patienter toleramus, remissionem peccatorum pro mercede recipimus.

d. — *Quid existis in desertum videre?* Joannes septenni in deserto in tot magnis et tam præclaris virtutibus educatus est. Merito ergo Joannis laudes a deserto decantantur; ab educatione enim hominis mores ac virtutes pullulant, ut qui in primis vitæ annis addiscuntur, mores in ætate magis matura similiter adhærere ut plurimum solent. *Proverbium est : Adolescens juxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea, Prov.*, XXII, 6. S. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, ut refert Surius, ætatem juvenilem ceræ assimilare solebat, nam ut ait idem Surius : « Comparabat ceræ juvenis ætatem, quæ « ad formandum sigillum aptum est temperata. « Nam si cera nimis dura vel mollis fuerit, sigillo « impresso ejus figuram in se nequaquam ad ple- « num recipit. Si vero ex utrisque, duritia scilicet « atque mollitie, discrete habens, sigillo impri- « mitur, tunc forma sigilli omnino perspicua et « integra redditur. Sic est in ætatibus hominum. « Videas hominem in ætate hujus sæculi, ab infantia « usque ad profundam senectutem conversatum, « sola terrena sapientem, et in his penitus obdura- « tum; cum hoc age de spiritualibus, hunc cœlestia « secreta doce rimari, et perspicies eum nec quid « velis quidem posse videre; nec mirum indurata « cera est, in istis ætatem non trivit, aliena ab « istis sequi didicit; e contrario, consideres puerum « ætate ac scientia tenerum, nec bonum, nec « malum discernere valentem, nec te quidem intel- « ligere de hujusmodi disserentem, nimirum mollis « cera est, et quasi liquens, nec imaginem sigilli « quoque modo recipiens. Medius horum adolescens « et juvenis est, ex teneritudine atque duritia con- « grue temperatus; si hunc instruxeris, ad quæ « voles, informare valebis. Quod ipse animadver- « tens, juvenibus majori sollicitudine invigilo, pro- « curans in eis vitiorum germina extirpare. » Totus hic est discursus S. Anselmi a Surio relatus.

e. — Morabatur Joannes in deserto. Ibi angelicam vitam ducebat, in carne quasi sine carne vivens, cum e contra, Herodes in aula incestum commisisset : sic prorsus in certamine contra carnis vitium fugere debemus, si de victoria obtinenda, et de Dei assistentia securi esse velimus. S. Anselmus S. Pauli consilium sive præceptum fornicationem fugiendi,

I *Cor.*, VI, 18, christianis impositum considerans, ad nostram instructionem ita scribit : « Cum aliis « vitiis potest expectari conflictus, hæc fugienda « est, quia aliter melius vinci non potest. » Cyprianus de hac materia tractans, nosque ad timendum, potius quam ad confidendum de nobis animare volens ait : « Expedit plus bene timere, « quam male de se fidere, et utilius est, ut « infirmum se homo cognoscat, ut fortis existat, « quam fortis videri velit et infirmus emergat. » Et paulo post subdit : « Inæstimabilis pietas, « ut timendo fœminarum blandimenta vincamus. » « *De Sing. Cler.* X. Ecclesiasticus III, 27, dicit : *Qui amat periculum peribit in illo.* Et revera ita est : quisquis enim inimicum suum fugere valens et tamen in viribus suis confisus, eumdem cum summo sui discrimine aggreditur, secure peribit. Unde Dionysius Carthusianus ait : « Qui amat peri- « culi occasionem, incurret damnationem, nec po- « test peccata evadere qui non curat vitiorum occa- « siones effugere. » Quando Putipharis uxor Josephum aggrediebatur, pro committendo adulterio, videns ipse pallium suum ab ea apprehendi, eo in manibus adulteræ relicto, in fugam se recepit : sed numquid Joseph muliere ista robustior erat? Cur igitur non potius cum illa luctatus est, ut pallium suum e manibus illius eriperet, sed potius relicto in manu ejus pallio fugit? Respondeo optime fecisse Josephum, quia in hoc castitatis prælio, nequaquam facienda est experientia virium nostrarum invadendo hostem, sed omnis hoc in prælio fortitudo nostra in fuga consistit. Virilis animus non præbet carnali concupiscentiæ consensum sed fugit omnes occasiones peccati.

Versus 8.

Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.

Hominem mollibus vestitum?

1. — S. Paschasius dicit, Christum illis verbis, quisnam sit prædicationis Baptistæ finis, turbas docere voluisse, quasi enim dicebat : « Non ex « prædicatione sua vanam captat gloriam, neque « vitæ singulari blanditur, ut mollibus vestiatur, « sed potius vos quærit, qui quasi arundo intus « vacui, exterius huc illucque flexibiles fulgetis. »

2. — S. Hilarius, cap. XI, *in Matth.*, hunc textum exponens dicit : « Eos, quibus per luxum fluida et « dissoluta sunt corpora, esse dæmonum habitatio- « nem. »

3. — S. Hieronymus, *in Matth.*, Christum hisce verbis populo sinistrum illum conceptum eximere voluisse docet, quem de Baptista facile sibi formare poterant, quasi invidiæ stimulis contra Christum agitatur, vel applausus, et gloriæ humanæ avidus fuisset, ut sensus verborum Christi hic sit : « An « forsitan stimulis contra me invidiæ cogitur, et « prædicatio ejus vanam sectatur gloriam, ut ex ea « quærat lucra? Cur divitias cupiat? Ut affluat « dapibus? locustis vescitur, et melle silvestri; an « ut mollibus vestiatur? pili camelorum tegumen « ejus sunt : istiusmodi cibus et vestis, carceris « hospitio recipiuntur, et prædicatio veritatis tale « habet habitaculum; qui autem adulatores sunt, et « sectantur lucra, et quærunt divitias, et deliciis « affluunt, et mollibus vestiuntur, isti in domibus « Regum sunt; ex quo ostenditur rigidam vitam et « austeram prædicationem vitare debere aulas « Regum, et mollium hominum palatia decli- « nare. »

4. — S. Thomas, *in Matth.*, in sensu spirituali per eos, qui delicate vestiuntur, adulatores intelligit : « Per homines, qui mollibus vestiuntur, significan- « tur adulatores? ille enim mollibus vestitur, qui « verbis blandis molitur, ut in omnes homines su- « perbi quærant gloriam. »

5. — Lyranus causam refert, cur multi hodie magnatibus blandiantur, nimirum ut de deliciis, voluptatibus, divitiis, et commoditatibus istorum participes se efficiant. « Homines veritatis talia as- « pernantur. » Valerius Maximus, lib. IV, *de Diogene*, narrat, quod eidem herbas quasdam eluenti nonnemo dixerit, quod si Dionysio adulari voluisses, tales utique herbas non comederes; cui ille respondit : « Si tu ista edere velles, Dionysio adulari « nolles. »

6. — Doctor Angelicus hoc loco dubium movet, an exterior in vestibus pompa peccatum sit? Et ratio dubitandi est, quia de Epulone ad infernum condemnato, inter alia scribitur, quod induebatur purpura et bysso. « Respondit Augustinus, quod « talia non sunt consideranda, sed affectus uten- « tis; quilibet enim debet indui ad modum simul « conviventium; ideo magis consideranda est con- « suetudo : nam in aliquibus terris omnes, aut « plures induuntur serico; unde aliqui strictius se « induunt, aliqui latius, et utroque modo distin- « guuntur; si strictius et intentione bona, et hoc « est bonum; aut propter vanam gloriam, et hoc « est malum; si latius, et hoc propter superbiam, « et hoc est malum. » Vestes homini in peccati pœnam datæ fuerunt, ne scilicet de sua nuditate confunderetur, aut erubesceret. Unde Chrysostomus ait : « Quare; dic obsecro, corpus ita ornas, et gau- « des ejuscemodi amictu? non cogitas, quod pro « magno supplicio, propter transgressionis signum « hoc excogitatum est? Tu circumfers pastum ver- « mium atque tinearum. » Similiter si vestium consideres materiam, vel lanceæ sunt, ex exuviis animalium, vel sunt de sera, vermium excremento; vel ex pellibus excoriatarum bestiarum desumptæ sunt; vel ex lino, planta nimirum intra aquas prius marcescente sunt contextæ; et quænam in his omnibus superbiendi materia? optime igitur Bernardus ait : « Quid eis invides, qui de operibus vermium, et « murium pellibus ingloriam pene gloriam men- « dicare non erubescunt? »

In domibus Regum sunt.

7. — Rupertus Abbas Tuitiensis ait : « Joannes « non in domo, sed in carcere Regis est; non aliter « admittitur in domus Regum, nisi ita, ut offeratur « caput ejus in disco, saltatricis præmium, saltatio- « nis pretium. »

8. — Paulus de Palatio, quoad dignitatem sancti Joannis, aliam quamdam considerationem instituit, dicens : « Ubi ego intelligo Joannem esse præposi- « tum cunctis Regibus, cunctis Principibus, quan- « tumvis auro fulgerent et gemmis, quasi diceret « Dominus : Merito Regum et Principum postpositis « aulis, existis videre Joannem, utpote qui est omni « Rege, et Principe videri dignior. »

Versus 9.

Sed quid existis videre? Prophetam? etiam dico vobis, et plus quam Prophetam.

1. — Lyranus observat, Prophetas in antiquo Testamento nominatos fuisse titulo *Videns*, lib. I, *Reg.*, IX, 9, legitur, quod, *Qui dicitur hodie Propheta, olim appellabatur Videns, quia Prophetæ videbant ea, quæ aliis erant occulta.* Unde colligitur quod S. Joannes merito plus quam Propheta fuerit appellatus : « Quia non solum Christum prævidit venturum, et « prædixit sicut alii, sed etiam digito ostendit. »

2. — Paulus de Palatio similiter excellentias et prærogativas considerat, quibus super alios Prophetas eminuit, ait enim : « Ille plura in spirituali- « bus videt, qui majori lumine gaudet : at Joannes « majus lumen quam alii omnes possedit : vidit « enim Filium Dei, vidit Spiritum descendentem, « et super Christum manentem, vidit cœlos aper- « tos, audivit Patris vocem, affertur testis a sanctis- « sima Trinitate dicente : Super quem videris Spi- « ritum, ipse est; affertur testis, ut universa « hominum salus ex unius hominis ore depen- « deat. »

Additio.

a. — *Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce*, etc. Mollibus vestiti dici possunt, in sensu accommodatitio, *quorum sermones molliti sunt super oleum, et ipsi sunt jacula*, et sunt adulatores qui quidem Regibus et Principibus familiarissimi sunt, perpetuum et maximum tamen malum causant; eorum enim intellictum excæcant et veritatem ab iis abscondunt quæ a paucis Principibus libenter auscultatur. S. Antonius Magnus, in *Biblioth. Veter. Patrum*, relatus ait : « Quemadmodum corvi cada- « verum oculos effodiunt, sic adulatores suis lau- « dibus hominum animos corrumpunt. » Significantur quoque adulatores per hirundines; hæ enim quandiu æstatis grata tempora durant, solque nobis vicinus adest, domos nostras incolunt, nosque cantus sui modulis et harmonia recreant; at vero, hieme appropinquante, aliud magis temperatum clima inquirunt. Idemque nobiscum faciunt qui adulantur.

Versus 10.

Hic est enim, de quo scriptum est : Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

Mitto Angelum meum.

1. — Salvator noster usus est Malachiæ prophetia, ad augendum meritorum Præcursoris sui cumulum : Sanctus Hieronymus, *in Catena*, dicit : « An- « gelum hic dici Joannem non putemus naturæ « societate, sed officii dignitate, id est, nuntium « qui venturum Dominum annuntiavit. » Sanctus Gregorius, *ibidem*, notat, quod ubi in Græco legitur *Angelus*, in Latino habeatur *Nuntius* : « Recte ergo, « qui nuntiare supernum nuntium venerat, Ange- « lus venerat, ut dignitatem servet in nomine, « quam explet in operatione. »

2. — S. Thomas, *in Joan.*, similitudinem adducit Regis alicujus, magno cum comitatu in publicum procedentis : « Quando Rex vadit, præcedunt multi, « sed magis familiares præcedunt faciem suam; « sic Joannes honorabilior dicitur, quia missus ante « faciem ejus : tanto enim honorabilior, quanto « propinquior. »

Qui præparabit viam tuam ante te.

3. — Credibile est, Ecclesiam hoc Adventuali tempore, præsenti Evangelio, eo præcipue fine uti, ut non solum nos de Messiæ adventu certiores efficiat, verum etiam ut quænam a nobis ad illi debita cum reverentia occurrendum, illumque recipiendum, præparationes adhibendæ sint, nobis clare significet. S. Joannes enim dignus ejus prodromus et præcursor fuit, de quo proinde dicit, quod *præparavit viam suam.* Porro modus hanc viam præparandi, divinum officium nobis in illa Antiphona insinuat, qua dicitur : « In adventu summi Regis « mundentur corda hominum, ut digne ambulemus « in occursum illius. » Quis autem ex hoc capite dignius ipsi occurrere, digniorque ad eum rite excipiendum peristromatum ornamenta præparare poterat S. Joanne? *Spiritu sancto replebitur*, inquit de illo Archangelus, *adhuc ex utero matris suæ.*

Luc., I, 15. Et Eusebius Emissenus de illo ait : « Ita « in eum nihil sæcularis maculæ introire jam pote- « rat, in quo sanctificationis plenitudo regnabat ; » imo ne vel umbram aliquam maculæ, aut levissimæ culpæ nævum in anima sua reciperet : « Antra « deserti teneris sub annis, civium turbas fugiens « petisti, ne levi saltem maculare vitam crimine « posses, » canit de ipso Ecclesia.

4. — Porro certum est, quod Christus, in cujus fœmore scriptum legitur *Rex regum, et Dominus dominantium*, tapetes, aulea, aliaque similia pretiosa ornamenta, quibus viæ in Regum vel Principum primo ingressu exornari a nobis solent, minime requirat, utpote qui in hodierno Evangelio expresse dicit : *Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt*; sed potius a nobis desiderat et expectat peristromata christianarum virtutum hæc autem ornamenta in magna illa Præcursoris anima cumulatim reperiebantur, ideoque a Deo electus fuit, qui similes dignæ præparationis modos in hominibus assidue curaret. Sanctus Ambrosius, *in Cat. in Luc.*, ait : « Cui Spiritus sanctus infunditur, magnarum « est plenitudo virtutum. » Albertus Magnus de sancto Præcursore dicit. « Prudentia magnus fuit, « quia omnes docuit; temperantia, quia non solum « a deliciis, sed a necessariis temperavit; justitia, « quia quod suum erat unicuique attribuit; fortitu- « dine magnus, quia insaniam Regis et Reginæ « sustinuit. » B. Laurentius Justinianus, *Serm. de Nat. Bapt.*, illum quoque virtutum titulis, et epithetis extollit, dum ait illum esse : « Humilitatis « speculum, magisterium pudicitiæ, virginitatis « decus, sapientiæ lumen, præconem veritatis, pau- « pertatis specimen, contemptorem mundi, chari- « tatis, librum, martyrum decus, patientiæ fasti- « gium, et pœnitentiæ propalatorem. »

5. — Salvator noster, qui se viam et vitam esse dixerat : *Ego sum via et vita*, idem quoque S. Paulo attestante, I *Tim.*, II, 4 : *Omnes homines vult salvos fieri*. Præcursor autem ejus hanc viam unicuique facilem et pronam esse fecit, quamvis ipse per angustas et strictas vias, tribulisque et sentibus plenas ambulaverit; vultis experiri quam facilem hominibus viam ad Christum straverit? audite. Conveniebant ad ipsum die quadam Publicani ut refert Luc, III, 12 et seq., interrogantes : *Quid faciemus? At ille dixit ad eos : Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis. Interrogabant autem eum et milites, dicentes : Quid faciemus et nos? Et ait illis : Neminem concutiatis, nec calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris.* Guerricus Abbas, *Serm.* I, *de Nativ. Joan.*, hanc ejus discretionem admirans dicit : loquitur eis prout possunt audire : « Facite fructus dignos pœnitentiæ, si nondum « esse potest in vobis omnis plenitudo bonorum, sit « saltem vera omnium pœnitudo malorum; » viam, qua Salvatori occurrere possemus, non arctabat, nec asperam aut difficilem exhibebat, sed dilatabat potius.

6. — Via, qua Salvator noster in terram descendit, cœlum est, quia de cœlo venit; ac proinde quanto quis a terra remotior erit, suisque cogitationibus in Deum defixus fuerit, tanto facilius et securius ei occurrere poterit. Unde Apostolus dicebat : *Nostra autem conversatio in cœlis est; unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum.* Sanctus Thomas de Villanova de S. Joanne, *Conc.* I, *de Nat. Joan.*, scribit : « Totum quod cogita- « bat, quod volebat, quod desiderabat, quod age- « bat, totum erat Angelicum; » ac proinde de ipso dicitur : *Ecce ego mitto Angelum meum*; verumtamen si quis est; qui hanc viam ad ejus imitationem ingredi non præsumit, Guerrici Abbatis, *Serm.* IV, *de Nat. Joan.*, consilium sequatur, dicentis : « Si non « potes imitari Joannem in asperitate vestitus, et « parcimonia victus, vel in hoc imitare contende, « ut non sis arundo vento agitata. Et ut Sapiens « ait : Non te ventiles in omnem ventum, et non « eas in omnem viam, sed esto firmus in via Do- « mini. » Ecce qua in re sanctum hunc Præcursorem imitari possimus, ut dignam Redemptori advenienti mansionem præparare valeamus, nimirum ex quo tantum nobis spiritum polliceri non possumus, ut eum in eminentia donorum, gratiarum, meritorum et sanctitatis imitari conemur, saltem in via Dei stabiliter perseveremus, absque eo quod unquam ab eo deviemus.

7. — Quonam modo beatissima Virgo sacratissimi uteri sui sanctuarium Filio Dei præparavit? utique non alio, quam exercitio humilitatis, quanto enim hic apparatus in mundi oculis vilior esse apparet, tanto pretiosior est in oculis Dei : tunc enim Filius Dei incarnatus fuit, quando beata Virgo dixit : *Ecce ancilla Domini*; et ideo *humilitate concepit*. Similiter sanctus Joannes præcursor ejus esse meruit, quia præ cunctis aliis humillimus fuit. Unde S. Bonaventura, *Serm.* II, *de Nat. Joan.*, ait : « Joan- « nes summe humilis fuit, vilia maxime de se sen- « sit, vilia de se prædicavit, vilius de se quærenti- « bus respondit. »

8. — In primo Regum vel Principum in urbem aliquam instituendo ingressu, omnia offendicula et impedimenta a via, per quam Rex venturus creditur, amovere consuevimus; in via autem, per quam Deus ad nos venit, aliud non est offendiculum, vel obex, præterquam peccatum; hoc autem post sanctissimam Dei Matrem nemo S. Joanne perfectius sustulit : etenim quænam fuere prima opera, quæ tam Christus incarnatus, quam Maria mater ejus patravit? Nimirum quod montana Judææ conscenderint, ut peccatum originale, quo Joannes obnoxius erat, ab eo propellerent, bellumque huic offendiculo indicerent. Sanctus Bernardus, *De privil. S. Joan.*, ait : « Sanctificatus est a peccato, et ita dominante « Spiritu superfusus, ut et purgatus exeat, et reple- « tus. » Et quidem tametsi deinceps confirmatus in gratia fuerit, attamen ut Dionysius Carthusianus, *Serm.* II, *de Nat. Joan.*, de illo scribit : « Occasiones « peccati perfectissime evitavit, quia nec sanctitate « parentum, nec plenitudine gratiæ sibi collatæ, « nec promissis Angelicis et divinis contentus, mox « ut infantiæ annos egressus est, properavit ad ere- « mum. »

9. — Denique dici potest, quod sanctus Joannes Filio Mariæ, quovis alio excellentius, occurrere meruerit, per merita suæ virginitatis; sed forte dices : Alter ejusdem nominis consors Joannes, dicit, quod virgines Agnum immaculatum sequantur, non vero dicit, quod illum præcedant : *Virgines enim sunt, hi sequuntur Agnum quocumque ierit* : Ad hoc Albertus Magnus, *Serm. de Nat. Joan.*, dicit : « Joannes a « matris utero usque mortem in virginitate per- « mansit, et propter virginitatis privilegium Agnum « virgineum Virginis Filium virgineo indice demon- « strare, nec non et virgineis manibus meruit bap- « tizare. »

Additiones.

a. — *Hic est enim de quo dictum est : Ecce ego mitto Angelum meum*, etc. Salvator noster D. Joanni Baptistæ *Angeli* epithetum attribuit, dum ait : *Hic est de quo scriptum est : Ecce ego mitto Angelum meum.* Et quidem dubium non est, quin sapientia increata, Joannem hac nostra mortali carne indutum fuisse optime noverit : nihilominus, Angelum suum appellare voluit, quia jamjam de eo dixerat : *Venit Joannes non manducans neque bibens.* Didacus Stella inter alias rationes, cur S. Joannes Angelus appellatus fuerit, hanc quoque affert in medium : « Magis « spiritum angelicum habere quam humanum vi- « debatur, quia ut Angelus sine potione, sine « comestione, in cœlesti contemplatione dies noc- « tesque consumebat. » S. Basilius vitam Præcursoris « continuum quoddam jejunium » appellat. S. Cyrillus quoque Alexandrinus, in laudem jejunii scribens, ait : « Jejunium est simulacrum angelicæ « vitæ. » S. Ambrosius autem ad eamdem Baptistæ abstinentiam se reflectens, ait : « Ideo qui vitæ « humanæ possibilitatem continentia supergressus « fuerat, non homo sed Angelus appellatus est. » At vero et hic S. Doctor adhuc parum nimis dixit; siquidem Joannes plus quam Angelus æstimatus fuit, ab ipso enim, quo Messiæ dignitas ipsi, non a rudi et indocta plebe, sed a sacerdotibus, doctoribus et scribis, imo ab universo Hebræorum concilio oblata fuerat, implicite illum verum Dei Filium esse declarabant, quia in veritate rigor abstinentiæ et jejunii, tamque constans temperantia, tessera quædam dici potest immortalitatis : « Quid est enim « jejunium, nisi vitæ imago cœlestis? » inquit idem S. Ambrosius. *De Elia et jejun.*

b. — Angelus hic nominatur Joannes ab officio, quasi idem præstaret Joannes circa Christum, quod Angeli circa homines efficere solent, dum Deus sæpe ut bene sit hominibus, in via Angelos eis præmittat aut comites assignet.

c. — Angelus iterum erat Joannes, dum nullo obstante mortis timore, legis veritatem Herodi annuntiat, eamque tuetur. Sic quoque Angelus est omnis prædicator veritatis nobis destinatus.

d. — Magnam sui Præcursoris ostendit Dominus gloriam, dum illum nobilitat Angeli vocabulo. Etenim summa gloria est, quod lutum angelicos possit repræsentare volatus, et inter angelorum decora coruscare. Ubi beatorum Principum exprimenda gloria fuit, ac excellentia singularis, ait D. Matthæus, XX : *In resurrectione, neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Hac sola similitudine putavit Dominus sufficienter beatorum gloriam demonstrari, quam ut ostenderet maximam, angelicis splendoribus lutea beatorum corpora comparavit. Ad quæ D. Hieronymus, in *Epitath. Lutilli*, sic fatur : « Quando dicit : erunt « sicut Angeli in cœlis, non natura et substantia « corporis tollitur, sed gloriæ magnitudo monstra- « tur. » Et quidem dum Joannes dicitur Angelus, non tollitur corporis lutei substantia, sed gloriæ ostenditur magnitudo. Nec miror quod Joannes in terris agens assimiletur Angelis, quibus gloriosum est, beatis existentibus in cœlis assimilari; sed potius miror quod Joannes non dicatur plus quam Angelus. Cur, bone Jesu, non vides Præcursorem tuum longe superiorem Angelis esse? Desertum solum Joannis laudabat Dominus : nondum ad vincula, ad carceres, ad labores accesserat exantlatos; quod si Joannem vinculis afflictum voluisset extollere, haud dubium, quin illum plus quam Angelum prædicaret. Plane vincula et ærumnæ nos faciunt Angelis longe superiores; summam enim Deus gloriam et honorem abscondit sub tribulationibus. « Si quidquam esset nobilius et « conducibilius humanæ creaturæ in hac vita vi- « venti, quam tribulatio, Deus hoc ipsum Filio « suo dedisset; ideo dedit ei plus patiendum in « hac vita, quam unquam dedit creaturæ, nec « dabit unquam. » Hæc sunt verba Gersonis in capite cui titulus : *Sex magistri de tribulatione loquentes.* Blosius aliquo in loco introducit Salvatorem ita loquentem : « Afflictio mundo huic « despectui est; at apud me immensam dignita- « tem obtinet. Afflictio gratiam meam conciliat « et amicitiam, hominemque mihi gratum efficit « et amabilem, utpote mihi conformem. » Tribulationes in hac vita præclarissima Dei dona sunt, et non est ullum certius signum divinæ electionis, quam ut quis adversa humiliter, et resignato animo, propter Deum toleret.